agite. appropinquabit enim regnum dei. celox. Ficus protu-
lit grossos suos. i. ueteris legis precepta ceciderunt. Vinee
florentes odorem dederunt. quia euangelicus populus
ceu uites florentes sancte conuersationis odorem longe lateque
dederunt. Surge amica mea. formosa mea. et ueni.
O sponsa et amica. [illegible] cui tanta bona obtuli. surge et ueni.
et accinge te ad certamen. unde accipias eternam quietem.
Columba mea [illegible] per infusionem sancti spiritus. In foramini-
bus petre. in cauernis macerie. id est in uulneribus que
pro salute sponse. sponsus accepit. et in cauerna macerie. i.
in custodia uirtutum. Ostende mihi faciem tuam. Quasi
precor in publicum actionis procedere. et ex operibus faciem
tuam ostendere. Sonet uox tua in auribus meis. uox
uidelicet laudis. et sancte predicationis. Vox enim tua
dulcis. et facies tua decora. Illius namque uox domino
dulcis est. cui dulce est. uerba domini proximis annuntiare
uel ipsi domino laudes resonare. Et illa fides decora est.
que operibus ornata. aduersa pati non timet. Capite nobis
uulpes paruulas. que demoliuntur uineas. i. uincite
hereticos et scismaticos. paruos fide. et uerbo dolosos. qui den-
te praue doctrine. [illegible] rudes fidelium mentes lacerare
solent. Nam uinea [illegible] nostra floruit. id est. lete electorum ger-
minant pubes. Dilectus meus mihi. et ego illi. id est. solus dilec-
tus mihi. et solus mihi adiutor. et ego sola sum illi dilecta. quia
nullus alius recte diligit christum. nisi unica ecclesia. et nul-
la alia ab eo diligitur. Qui pascitur inter lilia. id est